

testes in locum eorum, qui antequam examinati fuerint, mortui sunt, surrogentur, si ex amissione testium causae praeiudicium metuendum sit, nec vlla culpa vel mora ei, qui probare iussus est, imputari possit, quam substituendi facultatem O. P. S. R. *ad Tit. XXIII. §. 2.* adeo ampliauit, vt intra spatium Saxonicum, ab eo inde tempore, quo probans testem mortuum esse resciverit, computandum, et plures noui testes, in locum vnus mortui substitui possint; sed O. P. S. etiam *Tit. XXIV. §. 1.* et O. P. R. S. *ad Tit. XXIV. §. 3.* docet, documenta nouiter reperta, iam elapso termino probatorio, adhuc produci posse ab eo, qui iurauerit, se, dum articulos probatorias iudici offerret, horum documentorum nullam habuisse notitiam. Quae cum ita sint, huius ipsius iuris analogia suadere videtur, vt testes etiam nouiter repertos, i. e. qui in nullius testis locum substituuntur, sed, cum elapso demum fatali inueniantur, confirmandae probationis causa nominantur, admittendos esse censeamus, praesertim si reliquorum testium testimonia, nondum didicita, et vt aiunt, attestata nondum publicata sint. Nam, licet de hac ipsa re Ordinatio Processus nihil sanciat, monente tamen IULIANO in *L. 12. D. de LL.* cum in aliqua causa sententia legum manifesta est, is, qui iurisdictioni praest, ad similia procedere, atque ius ita dicere debet.

§. 7.

Fatalia scilicet, siue, vt definitionem egregiam, quam Perillust. et Excell. LEOPOLDVS NICOL. L. B. AB ENDE in *Diss. de fatalium rigore iniquo, poenisque contumaciae temperandis C. I. §. XVIII.* exhibet, nostram faciamus, *stata tempora litigantibus legitime praescripta, intra quae aliquid, sub poena amissionis causae, venit expediendum*, in eum finem inuenta sunt, vt lites breuiiores fiant, et quisque ius suum celerius consequatur, nec aduersarius moras necestendo, litem protrahere pro lubitu possit, denique vt negligentia et malitia litigantium coerceatur, v. IO. GODOFR. KRAVSII *Diss. de eo, quod iustum est circa fatalia*

B

pro-